

Series ac ordo Praepositorum et Archidiaconorum Bonnensium [883-1653]¹

Postquam Wilibertus, Archiepiscopus Coloniensis, circa a[nno] Ch. DCCCLXXXIII [=883] fratribus S. Cassii in palude nuncupatis concessit proprietates Praebendarum; cooperunt Praepositi et Canonici huius ecclesiae; eorumque fuit

- I. Gevehardus, huius in testamento suo meminit Bruno I. Archiepiscopus Coloniensis.
- II. Erachius, aliis Everhardus, etiam Evercarus, dictus, Saxonum claro sanguine oriundus, vir apprime doctus, eoque Ottoni Imperatori, et diuo Brunoni Archiepiscopo Coloniensi percharus. Hic succedit Baldrico,

<441>

Comiti Montensi, in Episcopatu Leodiensi anno DCCCCLIX fundatisque variis ecclesiis et scholis moritur anno DCCCCLXII.

- III. Folcmarus, aliis Volcmarus, hic diuo Brunoni Archiepiscopo Coloniensi, viuenti consiliarius fidelissimus, defuncto etiam in Archiepiscopatu fuit surrogatus. Praefuit circa annum Chr. DCCCCLXV.
- IV. Reginardus, ex territorio Coloniensi, praeclaro genere ortus, ab operibus misericordiae in pauperes, condictus Eleemosynarius, multum familiaris, collateralis et dilectus S. Heriberto Archiepiscopo et Electori Coloniensi; fuit etiam Canonicus Metropolitanae Coloniensis, Praepositus Tornacensis, et Archidiaconus Virdunensis; demum Durando Episcopo Leodiensi defuncto surrogatus, consecratur a S. Heriberto, Archiepiscopo Coloniensi, Episcopus, postquam Virdunensem Episcopatum {ad quem communi etiam populi voto requirebatur} repudiasset. Sedit circa a[nno] MXXII et, multis pro ecclesia Dei praeclaro gestis, moritur circa a[nno] MXXXVI.
- V. Sigefridus, praefuit circa a[nno] MC. Huic et capitula suo Bonnensi, Fridericus Archiep. Col. circa a[nno] MCX donavit vineas circa ciuitatem Bonnensem, iuxta villam, quae dicitur Stockheim ea conditione, vt perpetuum ipsi celebraretur anniuersarium. Idem Fridericus

<442>

Archiep., tempori dicti praepositi, fundauit Hospitale apud ecclesiam Bonnensem.

¹ Fundstelle: (Materialien zur geist- und weltlichen Statistik des niederrheinischen und westphälischen Kreises, 1. Jg., 1. Bd., 1781).

- VI. Conradus, Hunc aliqui volunt fuisse postmodum Archiepiscopum Coloniensem; et ab Honorio PP. II. creatum Cardinalem. Praefuit circa a[nno] C. MCXVI.
- VII. Gerhardus, Comes de Seyn, vir magnae prudentiae, pietatis et eruditionis; gratissimus fuit variis pontificibus, in primis vero Innocentio PP. II., qui dicto Gerhardo et successoribus non solum confirmat allodium Endenichi, et mansum in Lymersdorf, sed insuper eum in speciale filium, eiusque successores et bona in patrocinium S. Romanae ecclesiae suscepit, tribuens eis potestatem, libere ad eum a quocunque grauamine appellandi. Eadem postmodum confirmat, et maiora concedit Eugenius PP. III., qui inter reliqua sessionem, stallum et locum tam in chore S. Petri Coloniae, quam in publicis processionibus sive conuentibus, ipsi Gerhardo, iam ante in contradictorio contra Praepositos Xantensem et S. Gereonis Coloniensem, ab Archiepiscopo Coloniensi, Arnoldo in consensu diuersorum Episcoporum totiusque cleri, a[nno] MCXXXVIII adiudicatum stabiliuit, Praepositumque in speciale protectionem S. Petri et suam suscepit. Subsequentes dein pontifices eadem, maioribus superadditis, confirmarunt, Victor PP. IV. et Alexander III., quorum

<442>

prior castrum in monte Draconis, perpetuis temporibus debere consolidari Praepositurae decreuit; prout iam dudum ante Arnoldus I. Archiep. Colon. consentiente capitulo sui metropolitico, statibusque patriae concesserat Charissimus item fuit Regi Romanorum Conrado, nec non Brunoni II. Arnoldus I. Friderico, Arnoldo UU. et Reinoldo Archiepiscopis Coloniensibus; a quibus omnibus varia et insignia impetravit priuilegia. Huius Gerhardi tempore Reinoldus Archiepiscopus Colon., Comes a Daselle, corpora S. S. Cassii, Malhusii et Florentii, ac sociorum martyrum trecentorum Tbebaeorum, prope Bonnam e terra, magna solemnitate et populi concursu {postquam DCCLXXV annis in terrae puluere iacuissent} eleuauit, et ad instantiam dicti Gerhardi Bonnam transtulit, ibique anniuersarium translationis in perpetuum prima Maii instituit seruandum. Idem hic Gerhardus, postquam octo praebendas canonicales vltra illas triginta duas a S. Helena fundatos, de nouo fundavit {prout id diebus Reinoldus Archiep. pluribus suo diplomate depraedicat, et a[nno] MCLXVII. Confirmat} aedificia varia, tam in ecclesia quam extra eam tum extruxit, tum restaurauit. Tandem, vltra quinquaginta annos existens praepositus, plenus dierum et meritorum moritur, et Bonnae ad ambitum in sacello sepelitur, anno

<444>

MCLXXVII. In huius honorem sequentes in claustro reperiuntur lapidi incisi versus:

Nemo priorum tanta restruxit, quanta Gerhardus ,
Nobilis ortu, clarior actu, gloria stirpis
Mutat opes, non ponit opes, dum talia condit

Atria claustris, moenia templi, plena decore.
 Quod fuit arctum, construit amplum, sordida mundans.
 Dum noua confert, funditus aufert alta ruina.
 Vsibus aptum, quicquid ineptum, reficit omne
 Gratia Christi conferat ipsi proemia regni.

- VIII. Lotharius, Hic ab Alexandro PP. III. et Philippo Archiepiscopo Colon. impetrat confirmationem priuilegiorum antiquorum, multis nouis supperadditis; varias villas et decimas, cum consensu superiorum, concedit suo capitulo. Defuncto Philippo Archiepiscopo electus vna cum Brunone Comite de Altena, ei libenter cedit, vtpote moderati ingenii et consilii, vir pacificus et pius. Moritur circa a[nno] MCXCVII.
- IX. Bruno, Comes de Seyna, succedit circa a[nno] MCXCVIII. Huic ab Innocentio PP. III. confirmantur priuilegia antiqua, et in specie illud praeeminentiae, de quo ante in Praeposito Gerhardo. Obtinuit et noua, sub data Laterani XI. Kal. Iun. de anno MCXCVIII. Hic, deposito a sede Coloniensi turbulentu Brunone

<445>

- Comite de Altera, a[nno] Ch. MCCV surrogatur. Floruit hoc tempore B. Hermannus, ex pastore S. Martini Decanus Bonnensis, postea Abbas in Marienstadt; ordinis Cisterciensis. Huius memoria est in factis seu Necrologio ordinis XXXI. Martii.
- X. Oliverius Saxo, scholasticus. Colon. praefuit circa annum MCCXX. Vir eximie doctus et insignis praedicator crucis pro subsidio terrae sanctae. Fit Episcopus Paderbornensis anno MCCXXIII, tandem etiam ab Honorio PP. III. creatus Cardinalis sabinus, cum Nicolao Tusculaho ad Fridericum Imperatorem Legatus missus: moritur circa a[nno] MCCXXIV.
- XI. Henricus de Mullenarch. Hic multis praeditus uirtutibus, communi omnium consensu eligitur successor S. Engelberti Archiepiscopi Colon. Praefuit circa a[nno] Ch. MCCXXV.
- XII. Ioanues. Hic se obligat Capitulo, quod quasdam uillas et officia non uelit conferre, nisi Canonicis actu residentibus; sub XVIII. Kal. Iulii de anno 1228. Praefuit circa a[nno] 1227.
- XIII. Godefriedus, Comes de Ravensperg. Hic Wilhelmum, Hersellensem Monachum, sibi ab Abbe Herzogenrodensi praesentatum in Abbatem dicti loci confirmat; immunitatem prope suam ecclesiam sibi suoque Capitulo strenue uindicat, sic deidentc Conrado Archiepiscopo Colon. III. Kal. Iunii de a[nno] 1256. Praefuit circa a[nno] 1245. Moritur a[nno] 1257.

<446>

- XIV. Ioannes. Extat huius viri memoria in ecclesia Bonnensi. Praefuit circa a[nno] 1277.
- XV. Reinardus, Comes de Westeburg. Fuit singularis vindex iurisdictionis et immunitatis suaec ecclesiae, obtenta a Nicolao PP. contra ciuitatem Bonnensem sententias; eiusque etiam executione; promulgata quoque contra magistratum, scabinos et ciues inobedientes, in uigilia S. Bartholomaei Apost. sententia

interdicti a[nno] 1291. a[nno] 1304. in locum Wichboldi, Baronis de Holte, Archiepiscopi Colon. eligitur vna cum Henrico de Virnenburg in Archiepiscopum; sed Henricus tandem Episcopatu potitur; a quo impetrat, ne Piores et Capitula ciuitatia Coloniensis possint imponere Decano et capitulo Bonnensi, non uocatis uel non consentientibus, aliquas contributiones; de a[nno] 1314 die 13 Decemb. Praefuit circa a[nno] 1283.

- XVI. Henricus, comes de Virnenburg, cognomento Butzemannus, nepos Archiepiscopi Henrici. Hic concedit ciuitati Bonnensi, sub certis conditionibus, accisiam de rebus uenalibus a[nno] 1318. Huius tempore Walramus, Archiepiscopus Colon. ex manibus Wilhelmi comitis Iuliacensis, sui fratri, redemit castrum Poppelsdorf, ei pro certa pecuniae Summa, ter mille et quingentarum scilicet marcarum, non item pridem per dictum Praepositum Henricum appignoratum. Tandem hic Henricus in oppido Elveld eligitur Archiepiscopus Monuntinus, et moritur circa a[nno] 1353.

<447>

- XVII. Ioannes, S. Romanae ecclesiae Cardinalis. De hoc praeter nudum nomen, in antiquo aliquo documento nihil inuenitur. Praefuit circa a[nno] 1357.
- XVIII. Wilhelmus, comes de Ritberg. Sub hoc Fridericus Archiepiscopus Colon. circa diversa puncta fecit laudum inter capitulum Bonnense ex vna, et oppidanos Bonnenses ex altera partibus a[nno] 1373, quo etiam hic Praepositus moritur.
- XIX. Nicolaus de Rosenberg, Praepositus Cameracensis, Caroli IV. Imperatoris Protonotarius, nec non Friderici Archiepiscopi Colon. Consiliarius; praefuit circa a[nno] 1380. Hic certis conditionibus transtulit dispositionem curtium in Poppelsdorf et Curinkhoven in capitulum; quod vicissim appromissis, perpetuis futuris temporibus, ob hoc beneficium, seruare eius memoriam annuam; de a[nno] 1384. Moritur circa a[nno] 1385.
- XX. Theodoricus, Comes a Moersa. Hic defuncto Friderico a Sarwerden successit Archiepiscopus Colon. a[nno] 1414.
- XXI. Ioannes Meyner, Fuit Consiliarius Theodorici Archiepiscopi Colon., cui oppignorauit vineales et censuales suas decimas in Godesberg, et alia bona diuersis in locis a[nno] 1429.
- XXII. Petrus de Schonburg, Nobilis de Franco et antiquae familiae; creatur Episcopus Augustanus a Martino PP. V. deinde a Nicolao V. a[nno] 1439 in concilio generali Florentiae habito, fit presbyter Cardinalis titulo S. Vitalis

<448 >

interfuit concilio Basiliensi; charus imprimis Friderico III. Imperatori. Praeposituram resignat a[nno] 1450; Moritur plenus dierum et senio confectus Dillingae a[nno] 1469.

- XXIII. Henricus, Comes de Nassau, Praepositus Moguntinus, approbat separationem factam per Theodoricum Archiepiscopum et cedit decimas, certis conditionibus, a[nno] 1464. quam cessionem Paulus PP. II. a[nno] 1465 confirmat. Moritur a[nno] 1474.

- XXIV. Conradus Comes de Rüberg⁴ Vir perbumanus, doftus et ttiultis virtutibus praeditus. Hic, refignata Praepositura, a[nno] 148t. fit Episcopus Ofnabrugensis; poibnodum etiam Monafteriensis.
- XXV. Georgius Hesselner, Protonotarius Apostolicus; Friderici III. Imperatoris Consiliarius intimus. Hic a[nno] 1468 a Sixto PP. IV. creatur presbyter Cardinalis, titulo S. Lucia in Silice; et, dum parou[!] lntre Danubium parat traicere, vnda submersus interit, a[nno] 1482.
- XXVI. Stephanus, Palatinus Rheni. Hic fuit nepos Ruperti Imperatoris, et frater Ruperti Episcopi Argentinensis, et Ioannis Archiepiscopi Magdeburgensis. Fuit etiam Scholasticus et Thesaurarius Coloniensis. Praefuit circa a[nno] 1483.
- XXVII. Ioannes Baptista Zeno, Venetus, filius sororis Pauli PP. II. creatur Episcopus Vicentinus et Marchio a[nno] 1408. Postea fit Cardinalis Diaconus S. Mariae in porticu, denique presbyter Cardinalis, et Episcopus Tusculanus, item Archipresbyter S. Petri Perusil

<449>

- Vmbriaeque; fungitur legatione apud Venetos sub Sixto PP. II. Hic postquam a[nno] 1509 ab Alexandro PP. VI. impetravit conseruatores Praepositurae et capituli Bonnensis, moritur Patauia a[nno] 1510.
- XXVIII. Melchior de Cupis, Episcopus Brixinensis, primo presbyter Cardinalis, titulo S. Stephani in Coelio monte, dein Cardinalis S. Nicolai inter imagines. Huius tempore Maximilianus I. Imperator confirmauit omnia priuilegia et concessiones, Praepositis et capitulo Bonnensi antea factas a Romanis Imperatoribus, Regibus et Archiepiscopis Coloniensibus; Coloniae a[nno] 1512.
- XXIX. Ludouicus Borgia, Alexandri PP. VI. nepos e sorore, et Archiepiscopi Montis regalis frater, Creatur hic ab auunculo a[nno] 1509. Diaconus Cardinalis, titulo S. Mariae in via lata; mox presbyter Cardinalis, titulo S. Marcelli; item maior Poenitentiarius et Prior S. Euphemiae ordinis S. Ioannis Hierosolymitani Neapoli, equo delapsus interiit. Praefuit circa a[nno] 1500.
- XXX. Iacobus de Croy, Fuit etiam Episcopus et dux Cameracensis, S. R. Imperii Princeps. Hic perpetuam missam singulis diebus Bonnae in Collegiata S. Cassii, loco eminentiori seu Altari celebrandam, fundauit. Obiit Bonnae XV. Aug. 1516, in choro S. Petri dictae suae Archidiaconalis ecclesiae sepultus.
- XXXI. Bernardus Tarlatus, alias Deutius, ex oppido Bibienna Florentinae dioecesis, Protonotarius sedis apostolicae, creatur

<450>

- a Leone PP. X. a[nno] 1513 Cardinalis Mariae in porticu. Constituitur Legatus in praelio contra Franciscum Mariam ducem Vrbini, nee non pro ineun?a inter principes christianos pace ad Regem Galliae. Ob haec et alia praecclare gesta, Constantiensi Episcopatu decoratur. Hic praeposituram, poftquam praefuit annis tribus a[nno] 1519 resignauit in successorem.
- XXXII. Wilhelmus de Enkefort, patrie Traiectinus, quem Leo PP. X. Notarium et familiarem specialiter nominat. Hic ab Hadriano PP. VI. creatur preabyter

- Cardinalis titulo S. S. Ioannis et Pauli. Poatquam praefuit annis circiter XV. Romae a[nno] 1534 mense Iunio moritur; et ad S. Mariam de anima sepelitur.
- XXXIII. Fridericus, comes de Weda, vir pius ac prudens. Hic ex Decano Metropolitanae Coloniensis, resignata in successorem Praepositura, constituitur a[nno] 1562 in locum defuncti Ioannis Gerhardi comitis de Mansfeld, Architpiscopus Coloniensis, et moritur Coloniae a[nno] 1568. ibidem apud Praedicatorea sepultus.
- XXXIV. Petrus de Vorstio, Brabantinus, Nobilis familiae nunc etiam de Loonbeck dictae; vir magnae doctrinae ac prudentiae; sedis apostolicae ad partes Rheni Nuntius, et Episcopus Aquensis. Fuit hic Imperatori Maximiliano I. apprime charus; a quo ad Cardinalatum nominatus, prius tamen, quam dignitatem assequeretur, obiit Wormatiae a[nno] 1549.
- XXXV. Ioannes Gropperus, vtriusque iuris Doctor egregius, patria Susatensis [=aus Soest], Scholasticus

<451>

ad Gereonen, et Susati ad S. Patroclum Decanus. Fuit hic contra haereticos disputator acerimus et libris clarus. Oblatum a Paulo PP. IV. Galerum cardinalitium, actis ei pro honore gratiis, renuit. Idem Adolpho comiti de Schawenburg, Archiepisco[po] Coloniensi, solutionem hypothecati sui castri Poppelsdorf obtulit, sed termino nondum elapso, obiit XIX. Martii 1549 aetatis suae LVII. Coloniae sepultus.

XXXVI. Casparus Gropperus, I.V.Doctor, Ioannis designati Cardinalis frater, Scholasticus ad S. Gereonem, Decanus S. Mariae ad gradus Coloniae, et Archidiaconatus Tremoniensis. Fuit hic vir multorum Principum Consiliarius; variis item functus est Legationibus; multis annis auditor Rotae; tandem apostolicae sedis ad partes Rheni Nuntius apostolicus cum potestate Legati de latere. Quibus officiis cum praedare aliquamdiu praefuisset, moritur XIX. Martii 1594 Col. ad S. Gereonem sepultus.

XXXVII. Petrus Gropperus, duorum priorum ex fratre nepos, I.V.Doctor, Scholasticus S. Gereonis, et Vestae Recklinkhusanae Vicedominus, Metropolitanae Coloniensis presbyter Canonicus, et Ernesti Archiepiscopi Vicarius in spiritualibus Generalis. Hic praedecessorum suorum pietatis heres et virtutum aemulus, tum in tuenda religione catholica, tum in conseruanda disciplina ecclesiastica, praeclarum se semper et seruentem exhibuit. Moritur X. Februarii a[nno] Chr. 1596 aetatis suae XLVI. Coloniae in Metropolitana ad tres Reges sepultus.

<452>

XXXVIII. Ferdinandus, vtriusque Bauariae dux, electus Coadiutor Coloniensis, Praepositus Berchtesgadensis, Magdeburgensis, Argentinensis, postmodum Administrator Coloniensis, Coadiutor Hildesimensis, Leodiensis et Monasteriensis. Hic mortuo Domino Ernesto, patruo suo, a[nno] 1612 succedit Archiepiscopus Coloniensis et Elector, nec non Episcopus praedictarum ecclesiarum. Resignat Praepositusam in successorem.

- XXXIX. Ioannes Cholinus, S. Theologiae Doctor, Domini Ferdinandi Coadiutoris, per multos annos, Theologus et Consiliarius; fuit etiam Canonicus presbyter Metropolitanae Coloniensis, item Leodiensis et Archidiaconus Hannoniae. Hic, postquam cum consensu Gregorii PP. XV. assumpsit Coadiutorem Praepositurae, cum spe futurae successionis, D. Franciscvm Guilielmum, Comitem de Wartemberg; obiit Coloniae mense Februario 1629 ibidemque in Metropolitana, quam haeredem reliquit, sepultus est.
- XL. Franciscus Guilielmus, filius serenissimi Ferdinandi vtriusque Bauariae ducis, qui in bello Truchsesiano civitatem Bonnensem libertati restituit, et diocesin Colon. totam recuperavit. Hic iam dudum assumptus, et a sede apostolica, vigore bullae Vrbani VIII. PP. anno 1625 octauo Id. Aug. emanatae, datus Coadiutor, defuncto Ioanni Cholino immediate successit; ac XXVII. Febr. 1629 solemni ritu, per Procuratorem suum possessionem accepit, etiamque Praeposituram, longa illustrium possessorum, tum Cardinalium, tum Episcoporum ac

<453>

Principum serie insignem, pristino decori restituit; ritum ac caeremonias Romanas potissimum introduxit; adeo ut Collegiata Bonnensis ecclesia inter alias Archidioecesis, proprius ad cultum romanum accedat; Ciuitate Bonnensi, Suecis vndeaque hostiliter irruentibus, numeroso praesidio grauata, Clerum eiusque ciuitatis ab omnibus oneribus immunem sua authoritate apud Sereniss. Electorem Ferdinandum praestitit ac conseruavit. Summum vero in ea studium adhibuit, ut ecclesiae et paroeciae, per pacificationem nuperam Monasteriensem in controuersiam tractae, ab inuasione haereticorum, habita meliori et exacta informatione, praeseruarentur. Memorabilia sane, et aeternae memoriae non iniuste adscribenda beneficia. Fuit tempore adeptae possessionis Episcopus Osnabrugensis, Praepositus Ratisbonensis, Oethensis et Monacensis, Canonicus item Frisingensis; circa eadem tempora factus quoque Episcopus Mindensis et Verdensis, et postmodum Coadiutor Ratisbonensis; succedit denquo a[nn]o 1649. Episcopus Ratisbonensis; a[nn]o 1652, in Coadiutorem dictae Praepositurae Bonnensis, approbante et confirmante Innocentio PP. X. assumpsit, cum spe futurae successionis, nepotem suum D. Albertum Ernestum, cathedralis ecclesiae Ratisbonensis Canonicum, Comitem de Wartemberg et Dominum in Wald, summae spei et insignium virtutum adolescentem. Viuit adhuc altememoratus D. Franciscus Guilielmus hoc anno 1653 magno reipubl. christiana et ecclesiarum suarum bono, per haec praesertim exculceratissima tempora, cui Deus

<454>

adhuc plures felices addat annos, et postmodum aeternam felicitatem.

Literaturverzeichnis

Materialien zur geist- und weltlichen Statistik des niederrheinischen und westphälischen Kreises, 1. Jg., 1. Bd. (1781). Erlangen: Palm.